






CHRIS[illegible] Autor,
[illegible]rum,
Dum [illegible]eus esto
[illegible]liber!

39. VI. 21.

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod jis etiam
in nonnullis faveret 220.



D. O. M. A. E. C.

Disputatio Prima

COLLEGII CORPORIS DOCTRINÆ Prutenicarum Ecclesiarum.

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ, SS. Th. D, eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

M. CHRISTIANO PETRI, Borusso.

Publicè in Auditorio majori 24. Maji habenda

REGIOMONTI,
Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

MAGNIFICIS,

GENEROSIS, STRENUIS,

Literatáque nobilitate

præcellentibus viris,

SERENISS: ELECTORIS BRANdenburg: &c. &c. supremis Consiliariis, & inclyti Ducatus Prussiæ Regentibus laudatissimis:


Dn. MARTINO à Wallenrodt/ Hereditario **in Pogermen/ rc.** Cancellario dignissimo.

Dn. ANDREÆ à Kreytzen/ Hereditario **in Wesselin / rc.** supremo Marschallo,

Dominis & Patronis suis optimis maximis

Grati animi & observantiæ monumentum submiße offert,

M. Christianus Petri, R. Alumn: Elect: Inspector sec.



INGRESSVS.

FErt animus, juvante Spiritus S. gratiâ, ad Academicam, eamque placidam collationem revocare, Symbolicum, Ecclesiarum in Ducatu Prutenico, Libellum, vulgò CORPUS PRUTENICUM indigitatum: tùm aliis de caussis p. 445. prægnantibus; tùm vel maximè, ut hac in parte sanctioni piissimę, pientissimę recordationis, *Illustrißimi Ducis* quondam, *Borußiæ*, ALBERTI *Senioris*, *&c. &c.* satisfacere adnitamur: quæ conceptis verbis in præfat: hunc in modum legitur: *Volumus itaq;, ut in hoc nostro Ducatu, perpetuis temporibus, quod ad doctrinam attinet; in prælectionibus, concionibus & aliàs conformitèr, & constantèr ita servetur; sicut in Corpore doctrinæ traditur, &* (penes August. Confess: ut & Artic. Schmalkaldicos) *præscribitur. Nemo quicunque sit, ad officium, seu ministerium aliquod in Ecclesiis, Scholis, aut aliàs assumatur, aut toleretur; nisi commemorata illa Scripta approbarit; receperit, & in illis perseverarit; nec vel verbo, vel facto se illis opposuerit.*

Sanctione hac, sapientissimi Principis, pensi habitâ, noluimus committere, quò preciosissimum Ecclesiarum nostrarum κειμήλιον hocce, vel penitùs oblivione sepultum; vel pœdore ac situ inquinatum; vel longè ab oculis, ac lectione

multorum, temporum injuriâ sic imperante, semotum, ac flocci hactenus habitum, relinquatur ampliùs; quin potiùs virili pro nostrâ contendendum esse eousque duceremus, quo pristino nitori, usuiq; suo restitueretur; inq; lucem publicam è tenebris, postliminiò quasi protraheretur, ac in proscenium Ecclesiarum nostrarum reduceretur.

In quo quidem proposito nos animavit, pietas erga patriæ patrem; gratitudo erga religionis purioris auctorem, & conservatorem ipsum Deum; officii, ac vocationis insuper sive professionis nostræ ratio; calamitas adhæc, Ecclesiæ nostræ, in singula momenta, ac horas non modò impendens; verùm etiam eam quassare incipiens, suâque atrocitate, priorum temporum injuriam, si non excedens, ad minimum tamen adæquans: adeò ut verendum sit, ne Ecclesia Christi, una cum puriore religione pessum eat: quippe quę non solùm in acie novaculę constituta; sed etiam rimas agere, & miserum in modum fatiscere deprehenditur. Non minori itaque vel studio, nec remissiori pietatis zelo vigilandum nobis, ex bono Ecclesiæ & Academiæ publico incumbit; ut ita tùm juventus in religionis fundamento probè consolidetur; tùm hoc pacto ad capessenda suo tempore munia Ecclesiastica, eò commodiùs, idq; ex pientissimo, nunquam satis laudati Principis nostri voto, præparetur.

Cæterùm antequam de singulis in Corpore nostro

nostro Prutenico consignatis Articulis collationem simus instituturi; placuit præcognitorum loco, geminam præmittere disputationem Generalem; quarum *prior* de Naturâ, & constitutione Corporis Prutenici; *altera* de ejusdem principio Normali sive Canonico disseret. Hac vice de priori; aliâ de posterioti, juvante Domino, conferemus.

PRIOR
Generalis Dissertatio.
De Naturâ, & Constitutione Corporis Prutenici.

1. In hac generali priori Dissertatione, paucis nobis agendum venit de Corporis Prutenici Ecclesiastici 1. Caussis. 2. Adjunctis. 3. Cognatis. 4. Diversitate. 5. Oppositis, & 6. Descriptione.

I. DE CAUSSIS.

2. Quatuor caussas hujus libelli indagare conabimur. 1. *Efficientem*. 2. *Materialem*. 3. *Finalem*, & 4. *Formalem*.

3. Efficiens est vel *principalis*, vel *minus principalis*.

4. *Principalem* nominamus ipsum auctorem Spiritum S. ceu ἐργοδιώκτην, & ἀρχηγὸν hujus pretiosissimi κειμηλίου, juxta illud Iacobi c. 1. v. 17. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι

καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, h.e. omnis donatio bona, & omne donum perfectum è supernis est, descendens à Patre luminum.

5. *Minus principalis est*, vel *Impulsiva*, vel *Instrumentalis*.

6. *Impulsiva* iterum fuit vel προηγουμένη sive *Interna*; vel προκαταρκτικὴ, sive *Externa*.

7. *Interna* vel προηγουμένη erat in Duce Prussiæ ALBERTO p.m. singularis pietas, pius zelus ac paterna cura & solicitudo tùm erga filium, quondam nostrum patriæ patrem *Illustriß. ac Celsiß. Ducem Prußiæ Dn. Albertum Fridericum, &c. &c.* p.m. tùm erga subditos in hoc Ducatu Prutenico. Sic enim habent verba Præfationis: *Ex pio itaque zelo, & ex paternâ, quam subditis nostris debemus solicitudine, iterum eam deliberationem, priusquam â filio* DEI, *ex hac miseriarum valle evocaremur, suscipiendam esse duximus, ut Filio nostro dilectißimo; ditioni nostræ, & subditis nostris doctrinam Euangelii in piâ pace, & tranquillitate sanam; puram & incorruptam, salutari docentium, & discentium consensione, tanquam hæreditatem præstantißimam relinqueremus, & quasi per manus traderemus, &c.*

8. *Extrinsecus* movens erat ferè *triplex*, 1. *Dissensiones* scandalosæ Ecclesiarum Ducatus Prutenici, non solum in ritibus; sed etiam in dogmatibus fidei: occasionem subministrante *Andreâ Osiandro*, cum complicibus A. 1551. & 1552. seqv. 2. *Prætextus* August: Confessionis: qui colligitur ex præfatione pag: 3. B. & 13. B. §. Quia igitur negari non potest, &c. 3. *Agenda*, sive *Ordinatio* Eccle-

ele-

lesiarum Prutenicarum Heterodoxa, ab *Aurifa*-*bro*, homine versatili, & πολυπράγμονι conflata, & heîc Regiomonti typis divulgata Ann. 1558. quę etiamnum hodie imperitos, ac novitios in Ecclesiâ perturbat, ac in devia abripit: *quo nomine optamus, singula Exemplaria editionis illius procul ex Ecclesiæ gremio proscribi, vel nonnisi emendata, & castigata imposterum retineri.*

9. Non possumus autem crassiores, circa fidem, & ritus errores, hinc inde in Libro illo sparsos, in gratiam Candidatorum Ministerii bonâ Conscientiâ amplius reticere. Vid. Proœm. supra p. 198

Primò circa Loc. de *Personâ Christi*, 1. Pag. 3. Unio personalis probatur dicto planè impertinenti Joh: c. 3. v. 13. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, & 2. Cor: 5. v. 19. Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians: ut & Philip. 2. v. 6. Christus cum esset in formâ Dei, non rapinam arbitratus est, &c.

2. De *communicatione* Hypostaseos, & Naturarum altissimum ibi silentium.

3. De *communicatione* Idiomatum tepidè loquitur; nullius, præter primum, mentionem faciens; nec id quidem admittens.

Secundò de *Discrimine Vet. & N. Testamenti*, p. 11. & 13. frigidè, & truncatim sentit, 1. namq; nullam facit mentionem Discriminis ratione Sacramentorum Vet. & Nov. Test.

2. Differentiam solummodò collocat in *nativitate, paßione, morte, resurrectione Christi.*

3. Missionem Spiritus S. *Novo Testamento statuit esse propriam* cum Photinianis.

4. *Initium regni Christi* ad tempus N. Testam: restringit; cum aliàs Christi regnum sit æternum.

5. Regenerationem, ac instaurationem nostri ad *N. Testamentum refert*, quę tamen communis est cum hominibus in Vet. Testam.

6. *Regnum Christi* ait, visum fuisse ab Apostolis, tempore ascensionis in cœlos, & Pentecostes in missione Spiritus S. visibili. Contrà: Regnum Christi est potiùs dominium tum *potentiæ* in cœlo, & in terrâ; tùm *gratiæ* in Ecclesia militante per verbi & Sacramentorum ministerium; tùm *gloriæ* in Ecclesia triumphante, ubi DEUS erit omnia in omnibus, Ps:110, 1.2. Matt:18. v.20. c.28. 20. Eph:1.23. c.4.10. Hebr: 2.8. 1.Cor:15.25, 26. quod quidem ratione humanę Naturę Christus obtinuit, quoad plenarium usum ex sessione ad dextram DEI.

Tertiò de Necessitate bonorum operum, pag:25. argum:IV. contendit: Bona opera esse *Necessaria ad nostri conservationem in gratiâ* DEI *& justitia fidei*, adeoque ad conservandam DEI gratiam, & justificationem fidei. Verba ita habent: **Damit wir in der Gnade GOttes / und Gerechtigkeit des Glaubens erhalten werden**: sensu *Papistico* & *Calvinistico*.

2. Argum: septimo, Bonis operibus adscribit participationem seu acquisitionem benedictionis non tantùm corporalis vel temporalis; sed

sed etiam spiritualis: adeoque constituit bona opera meritoria bonorum spiritualium, sensu *Papistico* & *Photiniano*.

Quartò de Pœnitentiâ pag:31. & 32. ubi tres pœnitentiæ numero partes statuit his verbis: Es begreifft aber solche Christliche bekehrung oder Buß fürnehmlich diese drey nachfolgende Stück in sich: Das Erste ist genandt *Contritio*. 2. Für das Andere / daß man glaube / etc. Das dritte Stück / welches ist ein angefangener Gehorsam oder besserung im Leben / sol auff die erzeigte Gnade vnd Hülffe GOttes keines weges aussen bleiben. Vid. plura infra ¶. Sollen derhalben alle Christliche Prediger / rc. Nos verò cum Orthodoxis nonnisi duas agnoscimus.

Quintò de Baptismo, Exorcismum planè omisit; idq; in gratiam Crypto-Calvinianorum. Hinc etiam Calviniani in Confessione sua Anno 1617. heic divulgata ad Agendam Ecclesiasticam Anno 1558. provocant; Hodieque Pastores malè informati Exorcismum in actu Baptismi, in gratiam quorundam omittunt, quippe de quo ne gry quidem in Ordinatione illa deprehendunt.

10. Atque hi sunt crassiores Errores, quos inter legendum in illo libro animadvertimus; qui occasionem præbuêre de alia Ordinatione, & Informatione Ecclesiasticâ introducendâ, novoq; Ecclesiarum Symbolo conscribendo.

11. *Instrumentalis* caussa fuit gemina (par nimirum Theologorum incomparabilium) Dn. *Mörlinus*, & Dn. *Chemnitius*: quorum uterq; assiduis, iteratisque precibus piissimi Principis ex indultu Brunsvicensium Ecclesiæ, cui tunc præerant, evocati, Regiomontum devenere Anno 1567. 9. April: negotiumq; nomine *Illustrissimi Principis*, per Consiliarios Aulicos supremos, *Casparum Vasoldum Burggrabium*, D. *Ionam*, & Dn. *à Kreytzen*, ad se devolutum, pieq; expensum, ac deliberatum, pertexuêre.

12. *Materia circa quam Corpus doctrinæ* versatur, est partim *Dogmatica*, articulos fidei certos asserens, & repurgans; partim *Ceremonialis*, vel ritualis, de quâ suo seorsim loco.

13. *Materia ex qua* (loquimur analogicè) corpus illud conflatum est, innuitur disertè in præfat. pag. 3. B. §. In illa itaque Synodo &c. mentione Scriptur: S. Confessionis Augustan: Apolog: & Schmalcaldicorum articulorum: Conf. aliam præfat. Theol: sub finem §. penult. Quia igitur negari non potest, &c. f. 5. A.

14. *Formalis* consistit in modo tractandi industrio, & fidelissimo duorum illorum Theologorum, uti ex literis ad Principem datis videre est. 2. In tractatione Theseos, seu sententiæ orthodoxæ assertione, & antitheseos confutatione, de quâ singuli articuli videantur. 3. In exactione ad Verbi DEI Normam, nec non scripta Symbolica nostrarum Ecclesiarum.

15. *Finis*

15. *Finalis*, 1. gloria DEI, 2. salus & pax Ecclesiæ, 3. Conscientiarum solatium; Trigam hancce finalé proposuêre Consiliarii commemorati his verbis: Wie nun den Dingen/ vnd der zerrütteten Kirchen zu helffen/ das begehret Fürstl: Durchl: gantz gnädigst/ GOtt zu lob: der Kirchen zur ruhe; manchem armen Gewissen zu Trost/ etc.

16. *Secundarius* finis est, ut sit tessera, ac Symbolum Ecclesiarum in Ducatu Prutenico: non tamen solitarium (multò minùs absolutum) sed cum August: Confess. ejusdem Apolog: & Articulis Schmalcaldicis. vid. pag. 3. B. per totum.

17. Unde concludimus, Corpus doctrinæ non absolvi solis illis articulis seorsim repurgatis; nisi simul adjuncta fuerit August: Conf. Anno 1530. cum Apolog: ut & Artic. Schmalcal. Ratio est, quia soli illi articuli finem destinatum non adæquant; nec intentioni auctorum per omnia satisfaciunt.

II. DE ADJUNCTIS.

18. 1. Inchoatum est hoc Corpus 10. *April. Anno* 67. 2. ad finem verò deductum 6. *Mai. ejusd.* 3. in Synodo ventilatum, quæ fuit *habita* 26. *Maji*, *die Lunæ post* 1. *Trinit.* 4. donec tandem 30. *Maji* communi consensu omnes articuli sint approbati; Corpusque pro Symbolo receptum. 5. Superadditâ *subscriptione præcipuorum* Pasto-

Pastorum in Ducatu. 6. Typis divulgatum 9. *Iulii, ejusd. Ann.* 7. in recessu *Lublinensi à Div. Sigism: Augusto,* Rege Polon: confirmatum *An:* 1569. p. 292.

III. DE COGNATIS.

19. Optimè conspirat Corpus doctrinę Prutenicum 1. cum *Scripturâ sacrâ*: ceu principiatum cum suo principio, 2. cum *Augustan: Conf:* eaque genuinâ, ejusdem *Apolog: & Artic: Schmalcald:* quippe *tùm* ex his maximam partem desumtum; *tùm* ad eadem Symbola ceu hypotyposin sanorum Verborum exactum, & examinatum; *tùm* denique sine iis Symboli rationem neutiquam absolvens. Hinc indubitatò asserimus: 1. *Quicunq; Corporis Prutenici doctrinæ ex asse fuerit addictus: eum nec Augustanam Confeßionem; nec ejusdem Apolog: nec Articulos Schmalcaldicos repudiare posse.* Et contra: 2. *Quicunque hæc Scripta repudiaverit, vel in dubium vocarit, de vero Confeßsore doctrinæ Prutenici Corporis, gloriari neutiquam ipsum posse.* 3. Rursum: *Quisquis Corporis Prutenici doctrinam vel in dubium vocaverit, vel eandem repudiare præsumserit: nullo titulo jactitare eum posse, ac si sincerè Augustanam Confeßionem, ejusdem Apologiam, ut & Articulos Schmalcaldicos amplexetur, & pro suo Symbolo fidei agnoscat.*

20. Cognationem insuper optimam alit cum reliquis Ecclesiarum Lutheranarum Symbolis tùm *Catholicis*; tùm *particularibus*; propter summum in doctrinâ, sive fide consensum.

IV. DE

IV. DE DIVERSIS.

21. *Differt* verò Corpus Prutenicum, 1. à *Scripturâ sacra*, ceu normatum à Normâ; limitatum à limitante, nullatenus autem limitato; fundatum à fundamento; principiatum à principio. 2. ab *August: Confeß.* ejusdem *Apolog:* ut & *Articulis Schmalcaldicis*: uti *Particulare* Symbolum à *Catholico*, si nimirum articuli Prutenici repurgati seorsim sumantur: conjunctim verò pro toto corpore accepti, includunt simul Symbola illa Catholica; uti totum integrale suas partes, ubi nulla differentia realis. 3. à *Scriptis aliis Ecclesiarum Lutheranarum Symbolicis particularibus*, vel *specialibus* Confessionibus, *tùm* ratione loci in quo; *tùm* temporis circa quod scriptum; *tùm* ratione objecti, quod pertractat.

V. DE OPPOSITIS.

22. *Opponuntur* Corpori Prutenico *omnia* illa Scripta, *omnes* Confessiones, *omniáque* Symbola; quæ è *diametro* partim: partim *obliquè* pugnant, 1. cum Scripturâ sacra; 2. Augustana Confessione, 3. ejusdem Apologia, 4. Artic: Schmalcaldicis, 5. Formulâ Concordiæ, &c. quales quidem Confessiones sunt *Religionis Pontificiæ, Osiandristicæ, Stancaristicæ, Calvinianæ, Arianæ*, Photinianæ, *Schwenckfeldianæ*; *VVeigelianæ, Fanaticæ, Enthusiasticæ*, &c. Quæ circa antithesin suo tempore examinabuntur, in singulis Articulis.

VI. DE DESCRIPTIONE CORPORIS PRUTENICI.

23. *Est autem Corpus doctrinæ Prutenicum, certorum Articulorum ex Verbo DEI, Augustana Confeßione, Apologiâ, & Articulis Schmalcaldicis comprehensorum repetitio, assertoria in thesi, & refutatoria in antithesi, DEI instinctu, Ducisque Prußiæ Alberti Senior: pientiß: mem: curâ, per duos German: Theologos Dn. Mörlinum, & Dn. Chemnicium instituta; ab universis Ducatus ordinibus, tàm Politicis, quam Ecclesiasticis unanimi consensu, recepta & approbata, Regiâ denique Majestâte confirmata, ut sit Symbolum perpetuum & tessera Ecclesiarum Prutenicarum, certúmque testimonium consensus in doctrinâ, & fide; in DEI gloriam, Ecclesiæ ædificationem, & salutem.*

Appendicis loco

Placuit nonnulla, ex litteris Dn. Mörlini, & Dn. Chemnicii, ad Illustrifs: Prussiæ Ducem Albert: p. m. 6. Maji Anno 1567. Regiomonti exaratis, (quæ adhuc in Archivis reservantur Serenifs. Elect: nostri Brandeburg:) huc apponere; ex quibus videre planum sit; quantâ industriâ, quantâ devotione, conscientiâ, πληροφορία, ac pietate, duo illi incomparabiles Theologi, laborem præsentem aggressi sint, eumque pertexuerint.

V. Pag. 262.

Durch=

Durchläuchtigster Hochgeborner Fürst/ Gnädigster Herr: Wir haben in aller Gottesfurcht/ mit anruffung seines heiligen Nahmens/ das Werck/ so vns E.F. Dhrt. durch ihre löbliche Fürstliche Räthe aufferleget/ für die Hand genommen/ vnd verfertiget. Wie wir auch dasselbige hiemit E.F.D. in vnterthänigkeit demütiglichen thun offeriren: Wir mügen auff vnser Seelen vnd Gewissen für GOtt bezeugen/ daß wirs von Hertzen trewlich gemeynet/ vnd auff Erden höhers nicht bedacht/ dan daß den armen jrrenden möchte zu recht wiederumb geholffen: die reine vnverfälschte Lehr bey diesen Kirchen auff die Nachkommen gebracht werden. Welches nicht zu thun müglich ist/ wo man das vnreine nicht darvon thut/ vnd falsche jrrige Lehr nicht aussetzen wil. Hilfft darwieder kein Gebet/ noch Hoffnung: Sintemal es alles geschicht wieder GOtt/ der diesen weg *mandiret*, vnd ernstlich gebotten hat/ daß man ohn ansehen einiger Person/ wenns auch Apostel oder Engel aus


dem

dem Himmel herabher / vnd GOttes Mundtbotten weren; die jenigen / so ein anders lehren / verdammen sol / vnd verwerffen mit jhrer Lehr. Wieder solch sein mandat vnd ernsten willen / wird vns keine gute wolmeynung nicht schützen / weil ohne zweiffel seine die allerbeste meynung ist / deren alle Creaturen pariren sollen vnd müssen / oder mit schwerem Gericht / GOttes Zorn ewiglich tragen.


Et post pauca:

Wir schreiben E. F. D. auff vnser hohes vnterthäniges vertrawen zu / als getrewen Dienern JEsu Christi / Ehren vnd Gewissens halber für GOtt / gehöret / vnd anders nicht gebühret / vnd wissen / wo wir E. F. Dht. löblichen / getrewen / vnd frommen Hertzen / etwas zu jhrer beschwerung für GOtt verhielten / oder anderst fürgeben / denn sein Wort lehret / daß wir auff den künfftigen tag des zu Gericht / vnd recht stehen / vnd in Ewigkeit an Leib vnd Seel müsten mit vnträglicher straffe büssen vnd brennen / rc.

FINIS. δόξα τῷ Θεῷ.




Biblioteka Jagiellońska


Biblioteka Jagiellonska
stdr0012641

